

The image shows the front cover of an antique book. The cover is made of marbled paper with a distinct wavy, scalloped pattern in shades of red, blue, and yellow. A small, rectangular white label is attached to the bottom left corner of the cover. The label contains the letters "AB" in a bold, black, sans-serif font at the top, and below it, the number "36" followed by a fraction "10/12" in a larger, stylized black font.

AB

36  $\frac{10}{12}$

00  
Hefter

AUSPICE DEO!  
**MOTIVA**  
DESERTÆ BABYLONIS,

*Hoc est,*

Gravissimæ causæ & fundamenta so-  
lidissima, quibus auxiliante gratiâ Spiritûs  
Sancti, ad Religionem Romano-Papisticam deser-  
dam & orthodoxam Lutheranam amplecten-  
dam permotus sim,

*paucis descripta*

*per*

**ABRAHAMUM Baumgarten/**  
GENTE SCLAVONUM,

Clericum Sacellatum aliquando Din-  
tenelsheimii in districtu  
COLONIENSI

nunc Religionis Evangelicæ sacris initiatum  
in Academia Jenensi.

---

Jenæ, Literis Bauhoferianis,  
A. C. M. DC. LXXVII.



REVERENDISSIMIS ET SERENISSIMIS  
PRINCIPIBUS AC DOMINIS,

**D N. AUGUSTO,**  
PRIMATI GERMANIÆ, POSTULATO ADMINI-  
STRATORI ARCHI-EPISCOPATUS  
MAGDEBURGICI,

**D N. CHRISTIANO,**  
POSTULATO ADMINISTRATORI EPISCOPA-  
TUS MERSBURGENSIS, DUCIBUS SAXONIÆ, JULIÆ,  
CLIVIÆ AC MONTIUM, COMITIBUS PROVINCIALI-  
BUS THURINGIÆ, MARCHIONIBUS MISNIÆ, ET UTRI-  
USQVE LUSATIÆ, COMITIBUS IN MARCA, RA-  
VENSBURGO ET BARBII, DYNASTIS  
RAVENSTEINII &c.

DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS,

Has conversionis Primitias

humillimè sacrat, dat, dicat  
atque dedicat

*Reverendissimarum & Serenissimarum  
Celsitudinum*

Humillimus

ABRAHAMUS Baumgarten.

289



\* \* \*

œlestis vox est, & omni attentione digna, quam Johannes Theologus in Pathmo auribus hausit, nobis autem legendam, sancteque observandam Apoc. XVIII. v. 4. commendavit: Exite de illa populus meus: ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagiis ejus, non arripiatis. Quæ verba si contemplanda nobis proponimus, duo potissimum his ipsis inculcari deprehendimus: primum est, seria ad Babylonem spiritualem deferendam hortatio, alterum solida desertionis ratio.

Exhortationis verba ducunt nos in notitiam. (1) Exhortantis. (2) Obiecti ad quod exhortatio ista tendit, deniq; termini à quo migratio ista facienda: Is qui exhortatur, circa omnem dubitationis alea Deus est, quoniam fidelium collectio, non alterius, quam Dei populus est, ut ipse testatur Oseeæ 2. v. 23.

A 3

Rom.

Rom.9.v.14. objectum autem ad quod refertur, exhortatio ratione Qualitatis est populus ejus, tum qui aetate collectus est, tum qui colligendus erat: ita Christus ovile suum, etiam Ecclesiam ex Gentibus colligendam vocasse Johannis 10.v.16. legitur, ratione Quantitatis autem omnes ii, qui Babylonis servitute pressi, ad libertatem filiorum DEI gratiose ejus favore & voce coelesti vocantur. Denique quae sit illa Babylon quae tam seriâ exhortatione deferenda pronunciatur, vivis eam coloribus depicitam imo indice veluti digito demonstratam contemplamur. Etenim Babylon haec repraesentatur per Meretricem fornicariam Apoc. Cap.17. v.5. quae est civitas magna habens regnum super Reges terrae v.18. quae posita est super septem colles. v.9. At quis ibit inficias aliam hic designari urbem, quam Romam? aliam significari colluviem, quam Romano-Papam. Jam enim

Man-



Mantuānus. Vates lib. i. Æneidorū Romanos rerum Dominos; & Georgic. lib. 2. Romanam urbem septem: quæ una sibi muro circumdedit arces, multas ante annorum centurias cecinit.

Desertionis ratio sequitur, estque evitatio mali culpæ, & pœnæ ob peccata infligendæ. Etut præterea sceleram longè maxima Romanensium, de quibus jam pri dem domesticus eorum cecinit Vates.

*Vivere qui sancte cupitis discedite Româ,  
Omnia cum liceat, non licet esse pius.*

Illud solum hac vice mihi exprimendum est, quam abominandos, & saluti hominum æternæ pestiferos Romana hydra exhalat fœtores, quibus odorem vitae repellit, odorem verò mortis in hominum animos inquirat. Quæ res sufficientissima esse causa potest, ob quam Papæo-Romana colluvies deserenda, & orthodoxa sinceritas, illimesque doctrinæ cœlestis rivi feriò inqui-

quirendi. Nisi (quod Deus procul abesse velit) Divinam exhortationem contemnere , & pœnarum temporalium atque ærumnarum participes esse velimus.

Hæc exhortationis divinæ verba meas quoque aures percellere sentio , intraque cordis penetralia delabi penitus, ad meque pertinere percipio, sciens quod eum, quem ferit comminatio , insimul prævia spectet cohortatio ; quippe qui etiam intra Babylonis hujus pomœria versatus, & de poculo ejus inebriatus, sanam fidei doctrinam intelligere nec volui, nec velle à me potui, atque sic errori illi implicatus, nihil aliud quam pœnas similes expectare debui. At postquam salutifera Dei gratia mihi quoque apparuit , & me à tenebris ad lucem, ab errore ad viam rectam, à mendacio ad veritatem, à jugo Antichristi ad libertatem filiorum Dei traduxit, nihil antiquius mihi fuit,quam Babylonis Romanæ desertonem

5.

tionem facere, atque me cœtuī Evangelico  
pālām adsciscere, ut sic pœnas iniuitati-  
bus Babylonicis irrogandas evitarem; insi-  
mulque numero fidelium adscriptus, eam  
quam omnes expectamus Hierusalem cœ-  
lestein,consequerer. Ut autem planiūs pla-  
niūsque omnibus constet, quibus stimulis  
incitatus, à cœtu Papistico me sejunxerim,  
exponam brevibus motiva desertæ Reli-  
gionis; Non omnia tamen; Sed ea præfer-  
tim, in quibus Ecclesia Romana maximè  
à Scriptura recedere; & Justificationis, at-  
que salutis fundamentum concutere, de-  
prehenditur.

Opus conversionis nostræ ad Deum  
non est opus humanarum virium, sed in so-  
lidum Spiritui sancto adscribendum, qui in  
nobis operatur & velle & perficere. Phil. 2.  
v.14. Hanc tamen conversionem non agit  
Deus in nobis per raptus aliquos internos,  
ut Enthusiaſtæ ſomniant; nec debellando

B

homi-



6.

hominis intellectum & voluntatem, eamque ad conversionem cogendo, ut Absolutarii nugantur; verum per media, & causas organicas, veluti manu quadam nos ad conversionem dicit, & omne id quod aut conversionem facit, aut facit ad conversionem, per verbum in nobis gratiore operatur, intellectum ad intelligendum illuminando, ad assensum inclinando; voluntatem etiam ad volitionem boni permovendo, atque sic viribus credendi, & motus supernaturales exercendi, conferendo Motiva itaque, quibus ad deferendam Babylonem, apertis intellectus cæci oculis, induetus sum, paucis lubet exponere.

Primus exitialis error Pontificiorum est, quem circa normam credendorum ad salutem, errant, dum docent: Scripturam sacram esse, obscuram, ad controversias decidendas insufficientem, variis sensibus, iisque ambiguis obnoxiam: unde fit, ut eam



7.

eam atramentum sutorium, Judicem mutum, Regulam Lesbiam, Gladium Delphicum & quibus non orco deductis Titulis deturpant. Istæ calumniæ in Deum ipsum injuriosæ sunt: isti cerberei vomitus humanae saluti aconita gignunt. An enim Deus, qui summa bonitas & veritas est, clare, sufficienter, & citra omnem æquivocationis modum loqui hominibus non potuit, aut noluit? Annè dum Spiritus sanctus verbum suum lucidum, illuminans oculos Psalmo 19.v.9. Lucernam, aet tu lumen loco caliginoso mentis nostræ infundentem 2. Petri 1. v. 19. appellat, mentitur? cur nos ad Scripturas scrutandas Christus suo exemplo Matth. 22. v. 31. & mandato Joh. 5. v. 39. excitat, si iis non sufficienter, in Religionis negotio instrui possumus? cur Scripturam Spiritus appellat normam seu Regulam, Ps. 19.v.5. Gal. 6.16. secundum quam ambulandum sit, si ea curva est, & ad re-

8.

Et metiendos fidei articulos non magis apta quam ad rectitudinem Mathematicam explorandam Regula Lesbia? quare, stante veracitate divinâ ex allegatis locis constat Scripturæ perspicuitas, infallibilis veritas; & normativa facultas: contra, collabitur omne fundamentum Chymæræ Papisticæ , ex universis in Deum & Scripturam assertionibus & nominibus malè congestum. Porrò quam perniciosum humanæ saluti sit hoc dogma, ipsa praxi constat; nam apud homines Scriptura in vilipendium adducitur, ut nunquam à Layis, rarissimè & vix unquam à Clericis sacercodex inspiciatur, nec in eo vera salutis via, sed in humanis traditionibus inquiratur. Longè aliud nos de usu sacrarum literarum, ex 2. Tim. 3. v. 16. 17. discimus, quod videlicet illæ possunt nos instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis eniūm Scriptura divinitùs inspirata

三

*utilis*

9.

utilis est ad docendum, ad redarguendum,  
ad corrigendum, ad erudiendum in justi-  
tia, ut perfectus sit homo Dei ad omne o-  
pus bonum instructus. Quæ verba omnem  
à Scriptura imperfectionem procul remo-  
vent, & quis fructus sit homini ex ea expe-  
ctandus, digito velut indice demonstrant.  
Quòd si autem assertio Pontificiorum ali-  
quam speciem veritatis haberet, verba  
Pauli omni falsitate vacua non forent, cùm  
id quod est obscurum & ambiguum, imper-  
fectum, & incerti sensus, effectus à Paulo  
recensitos in hominum animis nunquam  
producere valeret. Nam ab imperfecto,  
perfecti nihile expectari potest: nec id quod  
est æquivocum, & ambiguum, informatio-  
ni & convictioni aptum est. Quare firmis-  
simè mecum statuo, Pontificios circa nor-  
mam credendorum & principium primum  
conclusionum Theologicarum exitialem  
fovere errorem, qui si admittatur semel,

B 3

nihil



10.

nihil veri in reliquis sperari debet aut potest. Sicut enim è turbido fonte illimes rivì manare nequeunt : ita ex detorto , aut truncato aut quocunque modo falsato principio, veritas conclusionum elici nunquam potest.

Secundus exitialis & pestifer error se se prodit circa Justificationem , cuius doctrinam, si quæ Religio malè tradit, ea hoc ipso hominem à salutis tramite planè abducit. Siquidem Justificationis & salutis ea connexio est, ut ipsa Justificatio hæreditatem salutis carentia autem Justificationis æternæ damnationis reatuim importet.

Justificationem Pontificii dicunt consistere in infusione habituali cujusdam iustitiae , quæ faciat, ut homines intrinsecè sint & dicantur justi, & sic ejus intuitu coram Deo sint & habeantur justificati. Justificationem postea faciunt duplicem primam & secundam. Primam dicunt, dum

ex



ii.

ex Peccatore fit justus, qui credit iis quæ proponuntur ad credendum ab Ecclesia, incipit peccata dolere, Christum diligere, per quos actus putatur recte dispositus ad habitualem justitiam suscipiendam. Secundam vocant, dum homo credens, & habituali justitia velut impregnatus, bona opera parit, quibus meretur apud Deum, ut ei augmentum habitualis justitiae conferat, eumque ad legis impletionem adæquatè habilem atque idoneum reddat. Hæc & plura alia Pontificij *ex Aristotele* ad analogiam physicorum habituum de justificatione fingunt.

Nos ex sacra Scriptura, quæ nos potest instruere ad salutem per fidem, rectius de Justificatione philosophamur, & justificationem Papæorum penitus profligamus. In Scriptura sacra enim justificatio describitur per non-imputationem sive remissionem peccatorum; quæ fundetur in imputatione



12.

tatione meriti Christi. Organicam verò causam unam & solam fidem, non opera esse docemus. Clarè id expressit Paulus Rom.4.v.6.8. ex Davide, qui beatitudinem hominis ponit in eo, quod ei Deus imputet justitiam sine operibus; & non imputet peccatum. Confirmat id Exemplo Abrahæ cui Deus non ex respectu ad bona opera, quæ fecit in & extra præputium, imputavit fidem ad justitiam coram Deo valentem. Ex quo patet non solùm opera legis ceremonialis; sed etiam moralis è censu causarum in aëtum justificationis excludi. Ne autem quis excipere possit, hoc privilegium personale esse, ideoque ad justificationem omnium malè ex eo colligi, occurrit Spiritus sanctus huic effugio Rom.4.v.23.24.25. & justificationem Abrahæ propter nos à se memoratam dicit; atque ulterius in causam hujus justificationis inquirit, eamque non aliam, quam sanguinem



13.

guinem sive meritum Christi esse docet,  
ita ut Abraham sit exemplum, Christus au-  
tem sit causa Justificationis communis. Ut  
autem homo non-imputationem seu re-  
missionem peccatorum per Christum con-  
sequatur, opus est apprehendente organo  
quod ex Scriptura unicum novimus nem-  
pe Fidem, ex adamantinis & nunquam  
expugnabilibus fundamentis Rom. 3. v. 27.  
Arbitramur, seu, concludimus hominem  
justificari per fidem sine operibus legis. Ex  
quibus verbis urgeri possunt Pontificii hoc  
modo: aut justificamur tantum bonis o-  
peribus; aut sola fide, aut bonis operibus  
& fide. Non primum, quia locus reclamat,  
& Pontificii nobiscum ex eodem Socinia-  
nos impugnant. Non tertium: Nam qui  
justificantur fide sine bonis operibns, illi  
non justificantur fide & bonis operibus.  
Atqui homines justificantur fide sine bo-  
nis operibus. Ergo. Major est plana, nam

C

si à



si à justificatione excludantur manifestè opera, quomodo cum fide qua justificari dicimur, ad producendam justificationem concurrent? Minor est in textu. Quare manet secundum solā fidem, quatenus apprehendit meritum Christi, esse à nostra parte causam justificationis & salutis. Nec habet locum inane effugium, Paulum loqui de operibus legis, viribus naturæ factis, quæ ad justificationem nihil valeant; sed tamen opera, virtute Spiritûs sancti producta, eum non excludere. R. Paulus loquitur absolutè, de omnibus operibus tam Gentilium, naturâ ea quæ legis sunt facientium; tam Judæorum omnium, inter quos multi bona opera ex fide fecerunt. Excludit etiam opera Abrahæ post conversionem facta, quibus ille tamen coram Deo gloriari non possit, Rom. 4.v.2. ea opera excludit, quæ promissione gratuitæ sunt adversa. At qui omnia opera legis ita se habent, ut patet,

13.

tet, ergo omnia excludit quocunque modo,& in quocunque statu facta sint.

Nec defunt nobis plura fundamenta, quæ justificationem per opera penitus rejiciunt. Nam (1) nostra opera sunt debita multis modis,& ad ea præstanta lege divinâ obligamur, ac licet omnia fecerimus, non humilitatis tantum; sed veritatis etiam confessione servos inutiles nos coram Deo asseverare debemus. Lucæ 17.v.10. (2) sunt imperfecta,& legis rigori non respondentia. lex enim ob infirmitatem carnis impossibilitatem habet annexam impletionis,& salvationis, quare imperfectionem operibus nostris adhærere necessum est. Nec putandum opera nostra evehi ad perfectionem per intimationem in sanguinem Christi, cum Paulus Rom.13.v.3. longè aliud statuat, dicendo: legis impletionem in nobis fieri per id quod Christus damnârit peccatum in carne, & solus omne id, quod lex

exigebat, præstiterit. (3) Sunt improportionata suo præmio videlicet justificationi in statu gratiæ, & salvationi in statu gloriæ. Si enim passiones non sunt condignæ ad futuram gloriam, Rom. 8. v. 18. multò minùs actiones nostræ condigni aliquid habebunt ad eandem.

Nec habent aliquid solidi detorsiones Scripturæ contra Orthodoxam Aug. Confess. sententiam, productæ, dum objiciunt (I) Jacobi 2. v. 24. hominem justificari ex operibus & nō ex fide tantum: confirmant autē ex v. 26. fidem sine bonis operibus esse rem mortuam, neque mortuam rem aliquam vivificari valere. Verūm facile patet alio sensu Jacobum hæc dicere alio autem Pontificiös velle dicta intelligere. Nam Jacobus vocem justificationis adhibet ad designandam renovationem quæ justificationem consequitur, ad quam pertinent bona opera, ex quibus de justificatione hominis.

17.

minis tanquam a posteriori concludimus,  
& hominem pro justificato habemus. Pau-  
lo autem & nobis de ipsa formali ratione  
justificationis præcisè sermo est, per quam  
homo justus coram Deo, & in foro, ut ajunt,  
poli constituitur; non autem per quam pro  
tali agnoscitur & in foro soli pro justo habe-  
tur. Ad Conf. <sup>R.</sup> Nec rem mortuam justifi-  
care, nec fidem justificantem esse rem mor-  
tuam. Fides enim quæ justificat, reverà vi-  
va est, & exerit se per bona opera quem-  
admodum viva & fertilis arbor per fructus  
suos. Sed probare debebant Pontifici, quod  
fides per hoc, quod viva aut operosa est, ali-  
quid conferat ad justificationē ita ut hujus  
intuitu corā Deo justificemur. (2) Gal. 5. v. 6.  
ajunt fidē quæ in Christo valet, per charita-  
tē perfici, quia in Græco textu est vocabulū  
*επεγεῖται*. Sed <sup>R.</sup> vocabulum hoc Græcum non  
esse passivæ sed mediæ vocis, & per modum  
deponentium habere significationem acti-

C 3

vam



vam, quamobrem etiam vulgatus adhibet verbum operatur. Ita verò nihil accedit causæ Pontificiorum. Nam fides nostra habet duplicem ad diversa objecta habitudinem: vel enim respicit meritum Christi, & sic est organum, quo illud nobis in Evangelio oblatum apprehendimus, applicamus, atque imputatione illius verè iusti coram Deo constituimur, vel respicit fides nostra proximum, erga quem aliter se exere-re non potest, quām per charitatem, quare Paulus ab utraque habitudine & respectu ad objecta fidem describit; ita tamen ut nec fides quā apprehendit meritum Christi, respiciat proximum; nec quā respicit per charitatem proximum, apprehendat Christi meritum. Verbo: Fides quā spe-  
**stat** Christum est justificandorum; quā se exerit per charitatem in proximum, est ju-stificatorum, qui, ut fidem suam veram & vivam, non hypocriticam & mortuam pro-bent,

19.

bent, eam per charitatem aetuosam conte-  
stari proximo tenentur.

Ad errorem de justificatione pertinet,  
Pontificiorum de peccatorum remissione,  
scepticismus sive dubitatio. Nam post-  
quam de justificatione hominis per bona  
opera, ab ipsis multa dicta sunt, tandem ob  
quæstionem illam : Quis scit, num bona  
opera perfecta sint, num ita facta, ut Deus  
voluit ? dubitationis vertigine justitiarii  
rapiuntur adeò, ut nemio ipsorum certò as-  
fleverare audeat, sibi esse remissa peccata,  
se filium Dei esse, in se Spiritum sanctum  
habitare, cùm contrarium, ajunt, esse pos-  
sit, quod homo possit esse sine remissione,  
filius Diaboli &c. Hunc scepticismum &  
dubitatem non solùm de futura, sed &  
de præsente gratia Papæis nemo affingit;  
sed illi ita credere anathemate Concilii  
Trident. compelluntur. Quæ doctrina cum  
peccatoribus anxiis viam ad desperationem  
aperi-



20.

aperiat; meritò omnibus bonis , & salutis  
æternæ cupidis, est fugienda: solaque suffi-  
ciens esse argumentum potest, ut ex Baby-  
lone Romana quantocijs pede omnes, qui  
in ea hærent, efferant; qui autem extra er-  
roris ejus confusionem vivunt, ab ea sibi  
studiosissimè caveant.

Tertius saluti perniciosus error in col-  
luvie Romanensium est, qui non uno mo-  
do circa Sacramentum Cœnæ Dominicæ  
committitur (1) Sacramentum hoc parte  
alterâ nempe calice spoliando (2) Sacra-  
mentum in sacrificium mutando (3) in ali-  
um finem quam in commemorationem  
mortis Christi transferendo , quæ omnia  
sunt contra Christum Institutorem, & In-  
stitutionis verba.

Sacramenti Cœnæ mutilationem es-  
se contra voluntatem Institutoris Christi,  
patet ex verbis Institutionis, à tribus Ev-  
angelistis, & à Paulo I. Cor. ii. descriptis, in  
quibus

21.

quibus mandatum non solum de corpore  
sub specie panis edendo, sed & de sanguine  
sub specie vini bibendo, nobis traditur, ita  
ut sacrilegium, teste vel ipso Gelasio Papâ,  
sit, calicem à Cœna Domini divellere, & sub  
solo pane Sacramentum hoc communi-  
cantibus dispensare. Primitivam Ecclesi-  
am sic usam tuisse, docemur exemplo Ec-  
clesiae Corinthiacæ, quæ juxta præscriptū  
Pauli ad institutionem primam provocan-  
tis, hoc Sacramentum sub utraque specie  
dispensavit communicantibus, quod & Pa-  
tres Constantiensis Concilii fassili sunt, qui  
non obstante Christi institutione & usu an-  
tiquæ Ecclesiae Laicis cœnam sub sola pa-  
nis specie sumendam sanxerunt. Patet er-  
go fateri Concilium, Mutilationem Cœnæ  
esse contra Institutionem Christi, & usum  
primitivæ puriorisque Ecclesiae. Ne pute-  
mus autem præceptum communionis sub  
utraque non esse ampliandum ad omnia

D

sequen-



sequentia tempora, Paulus i. Cor. ii. 26. ver-  
 bis Institutionis subjicit adhortationem,  
 ut quotiescumque edimus panem hunc,  
 & simul etiam bibimus calicem, illud fiat ad  
 commemorationem mortis Christi, donec  
 veniat, videlicet, ad judicium. Malæ causæ  
 pessima patrocinia quærunt Pontificii in  
 sequentibus dum ajunt (1) non habere nos  
 mandatum bibendi (2) Apostolos solos  
 præsto fuisse, ideoque usum Cœnæ Domi-  
 ni sub utraque specie non pertinere ad Lai-  
 cos (3) nullum corpus esse sine sanguine,  
 ergo Laicos sumendo corpus sumere etiam  
 sanguinem (4) Lucæ 24. v. 30. Actorum 2.  
 v. 46. & cap. 20. v. 7. administratam esse Cœ-  
 nam Dominicam sub solo pane; sed hæc  
 omnia, glaucoma solùm oculis faciunt, ne-  
 que ullam veritatis speciem habent, quare  
 ad l. R. (1) Institutio ipsa est mandatum (2)  
 adest peculiare mandatum *bibite* Matth. 26.  
 v. 27. Ad (2) R. Apostoli considerari possunt.  
 (1) quâ

23.

(1)quà Apostoli (2)quà alii ministri Ecclesiæ,  
sicut Petrus se Conseniores vocat I. Petr. 5.  
v. i. (3) Denique quà Christiani. Si primo mo-  
do considerentur discipuli Christi, tum se-  
quitur sub nulla specie Cœnam Christi ad-  
ministrandam, tam Clericis quàm Laicis,  
quia nulli horum Apostoli sunt. Sed nec  
secundo modo considerari possunt, quia  
illi tuncutique erant communicantes; non  
autem, ut ajunt Pontifici, conficientes: er-  
go debent accipi tertio modo quatenus  
erant Christiani, ita ut quod illis dictum  
est, omnibus dictum esse judicemus. Mar-  
ci 13. v. 37. Ad hæc testem habemus omni  
exceptione majorem, Paulum, qui Corin-  
thiacæ Ecclesiæ Laicis Cœnæ Domini le-  
gitimam administrationem demonstratu-  
rus, eos non ad aliam Cœnam quàm ad pri-  
mam illam Apostolicam remisit, eamque  
normam & regulam repetitionis & itera-  
tionis hujus Sacramenti esse voluit, & qui-

D 2

dem



34.

dem non ex suo arbitrio, sed Christi, à quo  
se accepisse illum administrationis modum  
dicit. Videmus ergo nec Christum Domi-  
num, nec Apostolum, vidisse aliquam di-  
stinctionem inter Clericos & Laicos circa  
perceptionem Cœnæ Dominicæ sub una  
aut sub utraque specie. Sed sicuti Dominus  
Apostolis in prima institutione utramque  
speciem exhibuit, & utriusque usum man-  
davit; ita per Apostolum Laicis Corinthia-  
cis idem faciendum, utraque specie uten-  
dum, & quidem usque ad adventum suum  
præcepit. Ad (3) R. aliud est loqui de cor-  
pore Christi naturaliter, aliud verò Sacra-  
mentaliter spectato: Item, aliud est ju-  
dicium de corpore & sanguine Chri-  
sti ex principio physico; aliud ex prin-  
cipio mystico. Utut ergo Christi cor-  
pus naturaliter non sit hodie sine san-  
guine; tamen sacramentaliter sub alia  
specie corpus manducandum; sub alia san-  
guis



33.

guis bibendus exhibetur. Nec dixit: Accipite comedite corpus & sanguinem meum,  
aut bibite sanguinem & corpus meum; sed  
esculentam rem comedion; irem autem quae  
bibi poterat, potionis ordinavit, & sic Cœnā  
cibo potuque spirituali constantem nobis  
post se reliquit. Denique si corpus secum sa-  
cramentaliter habet sanguinem, cur ergo  
Missificantes sub utraq; specie conficiunt,  
& sic in uno Sacramento bis comedunt &  
bibunt? dum edendo panem bibunt etiam  
sanguinem, & bibendo calicem comedunt  
corpus: quae absurdia fieri necesse est, si con-  
comitantia Papistica urgeatur. Ad ulti-  
mum <sup>re</sup> incertum apud Patres & Scripto-  
res Pontificios esse, num in locis citatis a-  
gatur de Cœna vulgari, an sacramentali.  
Lucæ 24. non habentur verba sacra-  
mentalis consecrationis, sed communis bene-  
dictionis, qualis facta Matth. 14. v. 19. ubi ta-  
men sacramentalis Cœna nequaquam fuit.

D 3

Damus



Demus ibi fuisse celebratam Cœnam Do-  
minicam, non tamen ex voce panis elici-  
ent communionem sub una, quia hic usi-  
tata Scripturis occurrit synecdoche, ubi  
frangere panem, sumitur pro prandere aut  
cœnare. Atqui Cœna aut prandium non  
destituitur potu: præterea, cùm Christus  
Lucæ 24. in diversorio dicitur fregisse pa-  
nem, non potest excludi potus, nam Chri-  
stus post resurrectionem suam disertè di-  
citur non solùm edisse; sed etiam bibisse;  
Aëtorum X. v. 41. insuper ut hæc fractio  
panis, sacramentalis sit, hypothesis Pontifi-  
ciorum non patitur, qui statuunt consecra-  
tionem panis simpliciter sine vino esse non  
posse; sed necessariò vinum ad consecra-  
tionis aëtum plenariè perficiendum, requi-  
ri. Quare sequitur Christum aut sine alte-  
ra specie consecrassè, aut sub utraque Sa-  
cramentum hoc administrâsse.

Mutilationem Sacramenti excipit ejus-  
dem

27.

dem perversio, & in sacrificium Missaticum  
Transformatio. Fingunt sacerdotem sub  
visibilibus signis offerre Deo corpus & san-  
guinem Christi propitiatoriè pro peccatis  
præsentium & absentium; vivorum & mor-  
tuorum. Quod cum Scriptura minimè con-  
fentit, sed ab ea plurimum discrepat (I) sa-  
crificium formaliter importat rei, quæ of-  
fertur, destructionem, aut si viva sit, ma&ta-  
tionem. Atqui Christus post expletum o-  
pus redemtionis mori non potest, quippe  
qui dominio mortis exemptus, morti do-  
minatur. Rom. 6. v. 9. nec corpus Christi  
glorificatum est passionibus obnoxium, ut  
destrui possit, patentibus ipsismet Pontifi-  
ciis. Nec eos juvat monstrosa distinctio  
sacrificii in cruentum, & in cruentum quale  
missam esse dicunt, cùm tamen sine sanguí-  
nis effusione non sit remissio Heb. 9. v. 23.  
Christus etiam semel est mortuus a&tū  
propitiatorio Heb. 9. v. 28. semel obtulit se-  
met-



met ipsum v. 25. 26. una oblatione consummavit in sempiternum eos, qui sanctificantur. Heb. 10. v. 14. ita ut nulla amplius relinquatur oblatio pro peccato. v. II. Discrepat (2) quia in sacrificio nos aliquid damus Deo, in Sacramento Deus dat nobis. Jam legimus in verbis Institutionis Christum dedisse Discipulis suis corpus & sanguinem; non autem Deo Patri: dedisse etiam non ad offerendum Deo; sed ad vescendum hocce cibo nobili: non denique ad propitiacionem instituendam pro peccatis absentium & mortuorum, sed ad commemorationem mortis suae per illos, qui se ipsos probare, & participes hujus Epuli esse possunt. Quod fructum sacrificii hujus Missatici attinet, nempe remissionem, aut, ut alii volunt, applicationem solum remissionis peccatorum, se exerentem non solum ad vivos, sive huic actui histronico & saltatorio praesentes, sive etiam absentes; sed etiam ad mortuorum

rum

29.

rum manes, in caligine & tormentis purgatorii sudantes & fædentes; hunc fructum, inquam, asserimus non solum præter, sed etiam contra Scripturam esse. Nam (1) Papicola nullum haðtenus potuerunt producere Scripturæ testimonium, quo confirmâssent, actum suum comico-missatum propitiatorium esse pro peccatis, præsentium, absentium, & mortuorum in purgatorio hærentium. (2) Christus ordinavit Epulum hoc ad manducandum & bibendum Ecclesiæ membris; non autem ad spestandum. (3) Nec in institutione Cœnæ apud Evangelistas descriptæ, nec in repetitione ejusdem, apud Paulum i. Cor. ii. nec in alio loco, usus aliquis ad absentes dimanare, dicitur. Sed solum ad comedentes & bibentes, atque ibidem mortem Domini annunciantes. (4) Ad mortuos non pertinet manducatio, bibitio, & mortis Christi annunciatio. Ergo neque usus, qui istos a-

E

ctus



Etus consequitur. (1) Purgatorium est fi-  
gmentum Platonicum & Poëticum , ex  
spectris,& somniis à Phanaticis hominibus  
in Ecclesiam introductum Scripturæ in-  
cognitum , imò planè adversum , utpote  
quæ duos tantum status mortuorum de-  
finit: salvationem & damnationem. Marci  
16.v.16.Luc.16.v.22.23. (2) Scriptura statim  
à morte beatos pronunciat , qui moriun-  
tur in Domino Apoc. 14.v.13. Atqui in pur-  
gatorio sunt pœnæ infernales formaliter;  
solâ extensione ab infernalibus differentes,  
teste Bellarmino. (3) In hac vita habemus  
purgatorium sanguinem Domini, qui nos  
emundat ab omnibus peccatis 1. Joh.1.v.7.  
Et certè injuriosum est in meritum Christi,  
flamnis purgatorii , quæ formaliter inferna-  
les sunt, eandem adscribere efficaciam quæ  
convenit soli sanguini Christi (4) quia nihil  
damnationis est in his, qui sunt in Christo  
Jesu, quod si ergo nihil damnationis est in

31

iiis, quomodo habent eandem poenam homines in purgatorio latentes, quam damnati? (5) Animæ piorum sunt in manu Dei & tormentum illas non tangit. Sap. 3. ergo non subjacent tormentis purgatorii. Atque ita verum esse patet illud antiquum: Purgatorium est Monachorum figmentum, Laicorum terriculamentum.

Offert se porrò mihi error quartus Pontificiorum, quem illi fovent circa Articulum de Ecclesia, qui etiam varius est. (1) Papam caput visibile & sponsum Ecclesiæ, qui vices Christi obeat, fingendo. (2) Papæ Romano, qui tamen Antichristus est, servilem & pecuinam penitus subjectionem, præstanto (3) Ecclesiam Romanam infallibilem statuendo.

Observandum autem ex adverso est I. quod Eph. i. v. 24. Christus dicitur datus à DEO caput Ecclesiæ, & tale caput sicut vir est mulieris caput. Eph. 5. v. 23. Atque

que sicut absurdum est mulierem simul duos viros habere: ita etiam Ecclesiam duo capita gerere. Deinde corpus Mysticum Ecclesiæ constat membris vivis, charitate Christianâ ad invicem copulatis, quæ cum uno Christo tanquam suo capite per veram fidem copulantur. Eph. 4. v. 16. atque talis nexus non datur inter Ecclesiam & Papam. Ergo Papa non potest esse caput Ecclesiæ. Et Christus licet visibilem præsentiam nobis subtraxerit, omnem tamen præsentiam non subtraxit. Sed hodie etiam Ecclesiæ suæ præfens est, & datus est super omnia caput ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet. Eph. i. v. 22. 23. Ex dictis etiam planum est, Papam non sponsum; sed adulterum esse Ecclesiæ, & Raptorem, atque Inuasorem alieni thori, cum non sit caput ejus. Præterea palam Paulus 2. Cor. ii. v. 2. testatur se Ecclesiam Corinthiacam,

despon-

33.

despondisse uni viro, Christo. Scivit bene  
Paulus Christum visibiliter in his terris non  
amplius esse, nec tamen Ecclesiæ Corin-  
thiacæ vicarium interea quæsivit sponsum  
Petrum, aut alium Romanæ Ecclesiæ E-  
piscopum. Sed uni Christo eam se despon-  
sasse scribit. Paulus scribens ad Ephesios,  
Romæ fuit, nec tamen ibi à quoquam Pon-  
tifice erudiri potuit, alium his in terris Ec-  
clesiæ esse sponsum & maritum quam Chri-  
stum. Siquidem disertè capite 5. de con-  
jugio Christi & Ecclesiæ prolixè scribit,  
docens: Mysterium hoc magnum esse in  
Christo & in Ecclesia, quod sicut in conju-  
gio duo copulantur in unam carnem; ita  
etiam Christum cum Ecclesia tanquam  
corpore suo, in unum aliquid coaluisse: jam  
quivis palpare potest, Paulum nullum ali-  
um agnovisse Ecclesiæ sponsum, quam u-  
num & solum Christum. Denique membra  
Ecclesiæ non sunt caro de carne Papæ,

E 3

nec



34.

nec ossa ex ossibus ejus, ergo etiam cum eo non possunt copulari, in unum maritale vinculum. Et sicut mulier vivente viro, si fuerit cum altero sive palam, sive te<sup>t</sup>e, sive coniuente, sive non, viro legitimo, vocabitur adultera, & ille qui cohabitetur, adulter Rom. 7. & inter virum & uxorem legitimam erit schisma conjugale, inter hos autem erit vinculum carnale. I. Cor. 6. ita si Ecclesia Romana in absentia visibili Christi elegit sibi alium, erit, & est adultera, & Papa est adulter, & illa jam scissa est à corpore Christi, nec amplius habet communionem cum Christo, docente Paulo. Et huc puto spectare illud Apocalypticum, dum Romana Ecclesia meretrix vocatur, eò quòd fidei maritalis vinculum ruperit, & adulterio seipsam turpissimè polluerit. Quis ergo erit amplius, qui in Lupanari isto libidinosissimo habitare, & ex eo non quantocyus pedem effeire gestiat?

Quā



Quâ servitutis catastâ homines in Rō-  
mana Babylone degentes, premantur, tam  
in spiritualibus, quâm etiam externis, noti-  
us est, quâm ut longâ explicatione opus  
habeat. Nam ejus omnia edicta, veluti Dei  
alicujus oracula acceptantur, ad nutum e-  
jus, leges & sancta divina figuntur & refi-  
guntur, ita ut si illi placeret, nec Scriptura  
pro verbo Dei, nec Deus pro Deo habere-  
tur. Hinc fit quod non obstante Christi  
institutione, Sacramentum mutiletur, non  
obstante divinâ revelatione, & inspiratio-  
ne Spiritus sancti, contra Evangelia & E-  
pistolas Pauli, dispensatio instituatur. Etsi  
Pontifex multa millia animarum quotidiè  
ad inferos deducat, ei tamen à nemine:  
DOMINE CUR HOC FACIS? reponatur. Quod  
Tyrannidem Antichristi Romani in exter-  
nis attinet, jam illa toti orbi est notissima.

Denique errant vehementer Papæ,  
dum Romanam Ecclesiam simpliciter atq;  
ab-



absolutè infallibilem esse docent, cùm tam  
en Scriptura & eventus contrarium o-  
stendant. Nam Ecclesiæ Romanæ fallibi-  
litudinem jam pridem Paulus ad Rom. cap.  
II. v. 20. 21. 22. docuit, aëtu etiam constat  
Ecclesiam Romanam errasse & in bonita-  
te prima non mansisse. Dum verò Matt.  
16. v. 18. dicitur, quod portæ inferorum non  
prævalebunt adversus Ecclesiam, scien-  
dum, per Ecclesiam intelligi Orthodoxam  
& universalem Ecclesiam Evangelicam su-  
per fundamentum doctrinæ Propheticæ  
& Apostolicæ fundatam, & illi constanter  
innitentem. Per portas autem inferorum  
diversas Satanæ & organorum ejus adver-  
sus Ecclesiam machinationes atque adeò  
etiam Romanenses illos qui anathemate  
& persecutionibus, multisq[ue] Tyrannicis  
modis ac mediis adversus veram Ecclesiam  
frustra prævalere conantur.

Cùm Ministerium Ecclesiasticum ma-  
gna

37.

gna ex parte ad Articulum de Ecclesia spe-  
Etat, visum est mihi appendicis loco attin-  
gere unicum de Ministrorum conjugio.  
Notum est omnibus, Papicolas conjugium  
Clericorum execrari, & quavis turpissimâ  
& abominandâ scortatione turpiùs repu-  
tare, adeò ut Costerus graviùs peccare di-  
cat Clericum, si unam conjugem legitimi-  
mam habeat, quàm si aliquot Concubinas  
alat. An non autem hoc est quod Christus  
dicit de Phariseis Marci 7.v.9. Bene irritum  
fecistis præceptum Dei, ut servetis tradi-  
tionem vestram! scimus etiam in Concilio  
Niceno Paphnutium ex Scriptura hono-  
rabile esse conjugium inter omnes demon-  
stravisse, adeoque illud licet à Clericis iniri  
posse. Habemus & alia fundamenta ex Scri-  
ptura (1) Institutionem conjugii; ex qua il-  
lud evincitur, nullum statum hominum  
esse exceptum ab usu conjugii (2) Sacerdo-  
tes V. T. citra pollutionem vixerunt in con-

F

jugio,



jugio, ergo nulla accedit macula Ministerio ex conjugio (3) Episcopi & Diaconi qualiter in conjugio vivere debeant, doceatur. I. Tim. 3. Tit. I. (4) prohibitio conjugii est doctrina Dæmoniorum I. Tim. 4. v. 23. (5) conjugium ex sententia Pontificiorum, est Sacramentum, & quidem tale, ex quo augmentum gratiæ provenit. Ergo usu ejus Clerus abstinere non debet.

Multa & diversa supersunt dicenda, de Ministerio Ecclesiastico , de invocatione sanctorum , de peccato Originis, de pœnitentia, de Sacramentis, de operibus quibusdam electiis v.g. discrimine ciborum, jejuniiis, confessione , festis , peregrinationibus &c. quæ omnia prolixitatis ergò omittenda, & graviora conversionis meæ pointe rim motiva explicanda esse arbitrabar. Quare confiteor tibi Pater Domine Cœli & terræ Creator & Redemptor meus & salu s mea, quod me ab errantibus in Papatu  
ovi-

39.

ovibus ad verum Israëlis Cœtum college-  
ris, collectum sub piis Magistris institueris,  
in quibus Te præsentem audire & vocem  
tuam observeare valeam. Confiteor ore ad  
salutem quidquid corde adjustitiam ab Ev-  
angelicis creditur. Non novi Papam, do-  
mata ipsius respuo, Hæreticis omnibus di-  
co anathema: nihil mihi cum his commu-  
ne esse volo, qui unum non dicunt, & sen-  
tiunt, eandemque fidei non tenent Regu-  
lam cum Lutherana Ecclesia, si quis verò  
Christum in solo verbo scripto docentem  
audit ac sequitur, huic ego communione  
confocior, hujus & fidem amplector, & Re-  
ligionem sequor, & doctrinam probo. Cæ-  
terūm quām alii blasphemī contemnunt &  
persequuntur Lutheranam Ecclesiam hu-  
jus ego me civem esse profiteor, ab ea nec  
latum unguem discedo: ob illius testimo-  
nium vitam & sanguinem profundere non  
recuso, porrò ob nullum commodum tem-  
pora-

40.

porarium, nec in hominis cujuscunque gratiam, vel adversus conscientiam, Evangelicam amplector Religionem. Quam Confessionem non aliud sanè à me exigit & extorquet, nisi nominis & honoris tui ratio, nisi agnitæ veritatis vis, nisi Canonicæ Scripturæ Authoritas; ac demum nisi expectata in cœlo salus, & proposita sinceris Confessoribus beatitudo. Quod si propter ejusmodi confessionem contemnor, si oppugnor, si traducor, singularem agnoscò & prædico gratiam tuam Deus, qui velis me propter justitiam pati, quod certè beatorum est. Hanc verò gratiam mihi perpetuò serves oro, ut quam tibi, quam Ecclesiæ, quam veritati, sinceram constantiam & constantem sinceritatem debeo, eam tum vivens, tum moriens testatam facere non desistam, neq; à fide vera unquam exceedam. Tu & principium & finis es mihi bonorum omnium: tibi à me, per me, & de me sit laus honor, & gloria sempiterna  
Amen.



AB:36<sup>10</sup>  
i,2

ULB Halle  
006 567 916

3




VD 17





### Farbkarte #13



AUSPICE DEO!  
**MOTIVA**  
DESERTÆ BABYLONIS,  
*Hoc est,*  
Gravisimæ causæ & fundamenta so-  
lidissima, quibus auxiliante gratiâ Spiritus  
Sancti, ad Religionem Romano-Papisticam deser-  
dam & orthodoxam Lutheranam amplecten-  
dam permotus sim,  
*paucis descripta*  
per  
**ABRAHAMUM Baumgarten/**  
GENTE SCLAVONUM,  
Clericum Sacellatum aliquando Din-  
tenelsheimii in districtu  
COLONIENSI  
nunc Religionis Evangelicæ sacris initiatum  
in Academia Jenensi.

---

Jenæ, Literis Bauhoferianis,  
A.C. M. DC. LXXVII.